

cum permittitur pauperibus, qui spicas à messoribus relictas colligant. Idem. *Ibidem*. Item mercenariis, qui bus pro mercede datur frumentum, vel quid simile. Idem *ibidem*. Idem Mendicantibus, qui elemosynæ loco, & pro victu cœnobii ea colligant. Idem *ibidem*. Ac denique iis, qui pro edulis ad fora delatis, & loco pretii recipiunt. Idem *ibidem*.

(Cum juxta casus occurrentes non solum specierum, sed aliarum rerum extractio, & ingressus prohibeatur, aut concedatur; determinatum adimplebitur; secus enim in legum perfractores proceditur; memorie demandetur *tit. inter alios 18. lib. 6. Recop. 9. lib. 6. Ord. Reg.* ubi per terdecim & centum leges permulta, quorum extractio, & ingressus determinatur, præscribuntur, & signantur: nullum exemplum præfigitur, quoniam quotidie experientia demonstrat, quorundam extractionem & ingressum aliquamdiu vitari, aliquamdiu permitti: & à nemine hæc omnia possunt melius animadverti quam à Principe, semper utilitati vassallorum consulente; necessitas prout in communi, ad utrumque normam constituit. Absque quo decreta nostris temporibus in hunc finem directa in medium conferantur, veritas assertio- nis præcedentis, si viginti quatuor Act. Acord. *tit. 18. lib. 6. Recop. Cast.* cogitantur, patescet.)

EXTREMA UNCTIO.

SUMMARIUM.

- V**ARIÆ in ecclesia Dei habentur in praxi unctioes hujus Sacramenti definitio: à quo, & quando fuerit institutum: ejus materia, & forma: hæc quomodo est profrenda; ad num. 13.
- 14** Quibus partibus est faciendū: quid, si aliqua careat infirmus: quæ observanda tempore pestis: minister sacramenti qualis. Regularis an possit eandem conferre: valeat necne à pluribus sacerdotibus conferri; ad num. 31.
- 32** Quid si ungens repente morbo moriatur, quomodo prossequendum: Subiectum capax ad ejus receptionem designatur: an iteranda: quod peccatum committatur, eo non recepto; ad num. 41.
- 42** Si parochus non ministret, & infirmus sine ipso sacramento ex hac vita discesserit, an peccet, etiam si contagii propter pestem detur periculum; ad n. 44.
- 45** Effectus præcipui Sacramenti Extreme-Unionis declarantur: Oleum infirmorum ubi, & quando asseruari debeat; ad num. 51.
- 52** Subnectuntur supplementa Auctoris, ad num. 67.
- 68** Novæ addit. ex aliena manu; ad num. 92.

VARIÆ in ecclesia Dei habentur in praxi Unctioes, prout dirigitur ad varias personas; Prima est Cathemenorum, quos oleo benedicto Sacerdos ante Baptismum ungit in pectore, & inter scapulas. Secunda Baptizatorum, quos chrismate ungit Sacerdos in vertice. Tertia Confirmatorum, qui per Episcopum unguuntur in fronte. Quarta Principum secularium, qua humeris, & brachiis unguuntur. Quinta est Sacerdotum, & Episcoporum, quæ fit in illorum ordinatione. Sexta est infirmorum ad extrema reducorum, de qua solum in præsentis est sermo. Unde *Extrema Unctio* dicitur, ut observat Tridentini Concilii Catechismus *part. 2. ibi*: Quare hæc unctio à majoribus nostris Sacramentum etiam Unctio infirmorum, & Sacramentum exeunium dicta est. Et ipsum Tridentinum *sess. 14. cap. 3. de Extrema Unct.* dicit expresse: Unde & Sacramentum exeunium nuncupatur.

Sacramentum Extreme Unionis est unctio hominis infirmi penitentis facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo; ministrata à Sacerdote simul verba certa cum intentione debita profertur, ex institutione divina efficaciter significans curationem finalem venialium. Sic Scotus in *4. d. 23. quest. unica.* Est de fide certum, Extremam Unctionem

esse verum, & proprie dictum Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum. Sic docet Concil. Flor. in Decreto Unionis, & Tridentinum *sess. 14. de Extrema Unct.* *cap. 1. ibi*: Instituta est autem sacra hæc unctio infirmorum, tamquam vere, & proprie Sacramentum novi Testamenti à Christo Domino nostro apud Marcum quidem (*cap. 6.*) insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum. (Jacobi 5) Infirmatur (*inquit*) quis in vobis? inducat Presbyteros ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Et *ibidem* Canon. 1. sic definit Concilium contra Hæreticos: "Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere, & proprie sacramentum à Christo Domino institutum, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum à Patribus, & aut figmentum humanum, anathema sit." Et jam hoc definitur *etiam sess. 7. can. 1. ubi* anathematizati dicentes non fuisse à Christo Domino instituta omnia sacramenta novæ legis, & ipsa esse vel pauciora quam septem, inter quæ expresse numerat Extremam Unctionem. Hoc Sacramentum Extreme Unionis probabilis fuit institutum post Resurrectionem, quando Christus Joann. 20. instituit. penitentiam, cuius consummativam esse Extremam Unctionem dicit Tridentinum *sess. 14. de Extrema Unctioe, in præmio*.

Materia remota Extreme Unionis est Oleum Olivæ ab Episcopo benedictum. Proxima autem est ipsamet unctio facta hoc oleo. Est communis, & constat ex Concilio Florentino in decreto Unionis, ubi dicit, quod *Extrema Unctio materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum, & Tridentinum sess. 14. de Extrema Unctioe. cap. 1. ibi*: intellexit enim Ecclesia materiam (Extreme Unionis) esse oleum ab Episcopo benedictum, & constat etiam ex verbis Apostoli Jacobi c. 6. *ibid*: Ungentes eum oleo in nomine Domini. Oleum hoc debet necessario esse benedictum ab Episcopo necessitate sacramenti, ita ut adhibito oleo non benedicto ab Episcopo, nullum fiat sacramentum: Est communis Doctorum sententia. Et colligitur ex traditione apostolica, ut tradit Beda in c. 6. *Marci*, *ibid*: "Unde patet ab ipsis Apostolis hujus Sanctæ ecclesie morem esse traditum, ut Emergentium, & illi quilibet agroti unguantur oleo pontificali benedictione consecrato." Idem expressius tradit Concil. Trident. *sess. 14. cap. 1. Extrem. Unctioe. ibi*: "Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta, ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministerium hujus salutaris sacramenti; Intellexit enim ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum." Et sic tenent Sanctus Thomas in *4. dist. 23. quest. 1. art. 3. ad quest. 4. & in supplement. quest. 30. art. 6.* Sanctus Bonaventura in *4. dist. 23. art. 1. q. 3.* Scotus *ead. dist. num. 5.* Layman *lib. 5. tract. 8. de Extrem. Unct. cap. 1. num. 1.* Durand. *q. 6. Paludan. in 4. dist. 33. q. 1. art. 1.* Reiffenstuel in *Theol. moral. tract. 14. dist. 11. q. 1. num. 7.* Henno *tom. 2. disp. unic. de Extrema Unct. quest. 3. concl. 2.* Pontas *verb. Extrema Unctio cap. 3.* Sylvius in *supplem. S. Thom. q. 29. art. 5. & 6.* Fagnan. *lib. 1. de cr. in cap. Cum venisset 1. de Sacra Unctioe num. 51. & 52.* Bellarmin. *cap. 7. Suarez disp. pat. 40. sess. 1. Coninch. tom. 2. disp. 16. dub. 2.* Sotus in *4. dist. 23. q. 1. art. 3.* Aversa *secl. 2.* Diastill. *de Sacram. Extreme Unctioe, n. 32.* Felix Potestas *tom. 1. num. 3908.* & alii passim; & Gobat de *Extrema Unctioe. num. 704.* ubi testatur esse de communi Theologorum; La-Croix *lib. 6. part. 2. num. 2092.* ubi asserit quod communissima dicit ex præcepto Christi requiri hic benedictionem Episcopi.

Non desunt tamen magni nominis Doctores qui dicunt simplicem Sacerdotem ex Papæ commissione oleum benedicere posse pro usu hujus sacramenti; Sic Cajetanus *2. 2. quest. 7. artic. 3.* Victoria de *Extrema Unct. num. 216.* Henr. *lib. 3. cap. 3. num. 1.* Zambranus *c. 5. de Extrema Unct. num. 7.* Rodig. *theol. scholastic. 1. 5. quest. 21. art. 2.* Frassen de *Sacram. Extrem. Unct. concil.*

eil. 5. Juvenin de *Extrema Unctioe q. 3. concl. 4.* Rosignolus de *Extrema Unctioe q. 1. art. 3. num. 12.* & alii. Et probant à pari de sacramento Confirmationis, cujus licet ordinarius minister sit solus Episcopus ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii *V. I. de unione Armenorum & in Trident. sess. 9. Canon. 3. de Confirm.* tamen ex dispensatione Summi Pontificis potest ipsam ministrare etiam simplex Sacerdos *ex cap. Pervenit 1. dist. 95.* ubi refertur Sanctum Gregorium Papam hæc facultatem concessisse Presbyteris Sardinie propter defectum Episcoporum, *ibi*: "Ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate ungeri debeant concedimus." Et hoc expresse indicat Eugenius *IV.* in Concilio Florentino *loc. cit. ibi*: "Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc sacramentum Confirmationis administrasse." Et talem facultatem concesserunt etiam alii Summi Pontifices variis Religiosis, ut Innocentius *IV.* Patribus Prædicatoribus, Joannes *XXII.* & Leo *X.* Fratribus Minoribus pro Indis, teste Rodriguez in suo Bullario Regular. in Bulla Leonis *X.* Gregorius *XIII.* Patribus Societatis, ut testatur Suarez, & alii. Unde inferunt ipsi, ergo etiam ex concessione Summi Pontificis poterit simplex Sacerdos oleum infirmorum sanctificare, cum videatur quid majus confirmare, quam oleum simpliciter benedicere, & sanctificare. Tum quia id patet ex antiquissima consuetudine Ecclesie Græcæ, in qua simplices Sacerdotes ex commissione Episcopi, approbante Romano Pontifice, oleum infirmorum benedicunt, quam consuetudinem approbavit Clemens *VIII.* in instructione super ritibus Græcorum de oleo Catechumenorum, & infirmorum constit. *incip. Sanctissimus*: ubi expresse hæc habet: "Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea Sancta, præter christiana ab Episcopis latinis diocesanis accipere. Cum hujusmodi, olea ab eis in ipsa oleorum, & sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, sui benedicantur; chrisma autem quod nonnisi ab Episcopo etiam juxta eorum ritum benedici potest, cogantur, accipere." Ex quibus doctè inferit Rosignolus *loc. cit. num. 12.* "quod benedictio episcopalis non sit de necessitate sacramenti, sed sufficiat sacerdotalis. Si etenim esset de necessitate sacramenti, etiam apud Græcos requireretur, ut ex se patet: Unde quod refertur ex Conciliis supra recensitis, intelligendum est solummodo de necessitate præcepti." Hæc ipse, qui *num. 12. in fine* concludit: "In hoc consulendum arbitror Sacram Congregationem. Quæ revera opinio non est inferioris ponderis, ne dicam majoris, quam prima.

Oleo benedicto in casu necessitatis ob infirmorum copiam potest valide, & licite sæpius addi oleum non benedictum, dummodo singulis vicibus minor quantitas addatur non benedicti, colligitur ex cap. Quod in dubiis *3. de consecrat. eccles. vel Altaris, & in Rituali Romano sub tit. de Extrema Unctioe, ex responsione Sacræ Congregat. Supremæ & Universalis Inquisitionis ad dubium, ut sequitur.*

Eminentissimi, & Reverendissimi Signori.

"Determinandosi nel Decreto di cotesta Sacra Congregazione fatto sotto li 2. Marzo 1679. sopra la condanna di 65. Propozizioni, che circa il valore de Sacramenti non si debba seguire l'opinione probabile lasciata la più sicura; & essendo opinione contraria tra Teologi, se per supplire all' Olio santo, che mancasse, sia lecito aggiungere del non benedetto in più volte, purchè l'aggiunto considerato separatamente, ed in ogni aggiunta, sia la minor quantità dell'Olio Santo, benchè considerate tutte le aggiunte insieme fosse maggiore; di qui è nato dubbio nella Diocesi di Sevilla, nella quale per la vastità è impraticabile benedire tant' Olio, che basti senza l'aggiunta, se sia lecito fare detta aggiunta all' Olio Santo, per esservi molti Teologi, che tengono l'opinione negativa per più sicura: Onde per avere la risoluzione di-

tal dubbio l' Arcivescovo di Sevilla, devotissimo Oratore fece porgere all' Eminenze Vostre un memoriale consultivo, nel quale si deducevano le opinioni de Teologi sopra questo punto. Ma non avendo sin' ora avuta la dichiarazione, supplica perciò l' Eminenze Vostre degnarsi di dargliela per sicurezza, & quiete della coscienza propria, e del suo gregge.

Feria 5. die 23. Sept. 1682. in Generali Cong. S. 10

Officii habita in Conventu S. Mariae super Minervam Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sede Apostolica specialiter deputatis, lecto supradicto memoriali; Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales Inquisitores prædictæ Congreg. decreverunt in casu proposito posse.

Franciscus Richardus S. Rom. & Universalis Inquis. Not.

Forma sacramenti Extreme Unionis sunt sequentia verba: Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulget tibi Dominus quidquid per visum, auditum, odoratum &c. deliquisti. Amen. Sic Concilium Florentinum, & Tridentinum *loc. cit.* una cum Rit. Rom. sub tit. de *Extrema Unctioe.* Invocatio Sanctissimæ Trinitatis non est de essentia, quia Concilium Florentin. & Tridentin. præmissam formam assignant: Communis. Forma Extreme Unionis non potest proferri, nisi modo deprecativo, non autem mere indicativo, quia ita instituit Christus, prout promulgavit D. Jacobus *c. 5. Inducatur Presbyterus, & orent super eum*; quod satis indicat formam hujus sacramenti debere esse deprecativam, ut tradunt communiter Doctores. Unctioes communiter sunt faciendæ in septem partibus infirmi sub eadem forma, variato solum nomine partis, quæ actualiter ungitur; Ita expresse Concilium Florentinum *loc. cit.* & Rituale Romanum Pauli *V. sub tit. de Extrema Unctioe.* Ubi ipsum Rituale dicit Unctionem renem in feminis honestatis gratia omitterendam esse, sicuti etiam in viris, quando infirmi commode moveri non possunt. Neque tunc sive in feminis, sive in viris alia pars corporis debet ungi pro ipsis renibus, Rituale *ibidem*. Si autem aliquis careat aliquo sensibus, v. g. visu, seu mutilatus existat aliquo membro, v. g. manu vel pede, tunc debet ungi pars illi sensui, seu membro proxima qua peccare potuit, licet non per sensus externos, per potentias internas illis correspondentes, vel per desiderium actus illiciti, Rituale *ibidem*.

Tempore pestis, aut alterius necessitatis, quo omnes Unctioes fieri non possunt, sufficit unica Unctio in quolibet sensu magis ad Unctionem exposito, ac defecto cum unica tantum forma omnes corporis sensus exprimente sic: "Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulget tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, gressum, & lumborum delectationem. Amen." Extra tamen casum necessitatis non sufficit ad valorem unica Unctio, nec pro materia chrismata, sed debet esse oleum benedictum distinctum à chrismate: Scotus in *4. distinct. 25. lit. D.* quia opinionem asserentes, ut potius minus tute, & exponentes sacramentum periculo frustrationis & nullitatis, non sunt prædicandæ ex decreto Innocentii *XI.* edito *die 2. Martii 1679.* in quo inter alias fuit damnata sequens propositio prima in ordine: "Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id veteri lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi." Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. Solum igitur hoc esset illicitum in casu necessitatis, quo non adesset nisi chrismata, vel non possent fieri omnes Unctioes, sicuti in casu necessitatis baptizandi infantem, si non possit haberi aqua naturalis, aut nequeat abluere in capite, licitum est eum baptizare sub conditione in lixivo, in digito, & hujusmodi, cum in tali casu titulus procuratur salus anime infantis, quam nullo modo eum bapti-

20 tizando. In casu necessitatis, v. g. tempore pestis possunt fieri Unctiones sine contactu immediato utendo virga longa oleo tincta. Immo Dicastill. tom. 3. num. 150. dicit, se vidisse ad viris non indoctis ministrari Extremam Unctionem mediante argentea virgula etiam extra tempus pestis, sed hoc est in re notabili contra universalem consuetudinem ecclesie. Sic quamvis extra casum necessitatis sit gravis obligatio in administratione hujus sacramenti, utendi habitu convenienti, id est superpelliceo, & stola, tamen in casu necessitatis posset ministrari sine tali habitu La Croix lib. 6. part. 2. num. 217. & communior aliorum contra Bonacinam, Naldum, Suarez, & alios.

21 Tempore pestis grassantis extremam conferri posse Unctionem eo morbo laborantibus oblonga adhibita virga seu alio instrumento, cujus extremam parti alligatus sit, firmiterque adhaereat gossipii pugillus sacro imbustus oleo, quo inungatur infirmus, multorum testimonio Theologorum probat Benedictus XIV. in synodo dioecessana lib. 13. cap. 19. editionis Romanæ 1755. Sed ejusdem Sapientissimi Pontificis verba digna sunt, quæ audiuntur: in Rituali Romano, sunt illius verba, in ordine ministrandi hoc Sacramentum hæc verba leguntur: Deinde intincto pollice in oleo sancto in modum crucis ungit infirmum: ex quibus oritur obligatio, remota necessitatis causa scilicet præscriptam ibi methodum, ita ut qui secus agit peccati reatum incurrat. At quoties adit gravis urgensque necessitas expedito, facileque interveniendi moro, quibus pestifero morbo infecti hujus ruti participes fieri possint, nulla subest justa ratio, quæ possit Episcopum remorari, ne facultatem faciat Sacerdotibus Extremæ Unctionis Sacramentum superius indicato modo, nempe per instrumentum ut diximus, ministrandi.

22 Minister validus hujus sacramenti est solus, & omnis Sacerdos. Quod sit solus Sacerdos, habetur ex Epist. D. Jacobi cap. 5. ubi legitur introducendos esse ad infirmum, non laicos, non quolibet, sicut in Baptismo, sed Presbyteros, ubi: Introducat Presbyteros, & orent super eum, & habetur ex Concil. Florentin. in decreto Armenorum, ubi: Minister hujus sacramenti, nempe Extremæ Unctionis, est Sacerdos, & ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 3. de extrema Unctione, ubi expresse dicitur: "Proprios hujus sacramenti ministros esse ecclesie Presbyteros; quo nomine eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt; sed aut Episcopi, aut Sacerdotes, & ibidem, Canon. 4. anathematizat contrarium sentientes: "Si quis dixerit, Presbyteros ecclesie, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathematis sit." Quod omnis Sacerdos possit valide hoc sacramentum conferre, videtur evinci ex textu D. Jacobi cap. 5. ubi: Inducat Presbyteros, ubi indefinite ponuntur Sacerdotes sine ulla prorsus exceptione, cum potestas illa competat Sacerdoti non ratione jurisdictionis, sed ratione Ordinis, ut confirmat communis ecclesie consensus, & per hoc Apostolus dicit, inducat non Episcopum, non procurum, sed Presbyteros ecclesie, ut ostendat potestatem illam cullibet Sacerdoti competere. Unde validum est hoc sacramentum etiam si conferatur à Sacerdote excommunicato, irregulari, degradato, etiam contradicente parochio, quia sicut retinet potestatem Ordinis, ita & potestatem hujus Sacramenti valide ministrandi, est communis, teste Rosignol. de Extrema Unctione q. 1. art. 2. num. 1. & 2. Minister autem licitus hujus sacramenti est solus parochus, aut alius Sacerdos de ejus, vel Episcopi licentia; Est communis, ac certa.

25 Unde nec Regulares possunt licite sine licentia parochi, vel Episcopi, aut privilegio Summi Pontificis hoc ministrare, immo illud ministrando incurrunt excommunicationem Papæ reservatam; Clement. 1. de privilegio.

26 In casu tamen necessitatis, quo non extante parochio infirmus jam ageret animam, tunc Regulares sine in-

cursum illius censura, immo & licite, sicuti & quicumque Sacerdotes seculares, possunt Extremam Unctionem ministrare ex præsumpto consensu Episcopi, vel Summi Pontificis, Valentia tom. 4. disp. 8. q. 1. punct. 2. Reginald. lib. 18. num. 408. & lib. 28. num. 61. Suarez tom. 4. disp. 44. sect. 2. q. 3. Navarr. c. 17. n. 101. Henriquez in Summa lib. 3. cap. 33. num. 4. Ghetius in Thezauro animæ tom. 4. verb. Unctio Extrema num. 5. explicat. lit. d. Thomæ, Rosignol. de extrem. Unctione q. 2. art. 2. num. 10. & alii passim. Extra casum necessitatis nequeunt Regulares sine licentia Episcopi vel parochi administrare Extremam Unctionem nec etiam adventis, qui in eorum conventibus infirmantur; Sac. Cong. Concil. in Monopolitana 27. Sept. 1670. ubi expresse censuit, "non licet fratribus absque licentia Episcopi, vel Parochi administrare sacramenta adventis, qui in eorum conventibus infirmantur, & si decedant, non posse speli in eorum ecclesiis," l. 26. Decr. Jol. 444. Possunt autem Regulares sine ulla licentia ministrare Extremam Unctionem famulis, domesticis, & continuis mensalibus intra eorum monasteriorum septa residentibus; Vide verb. Approbatio art. 1. d. n. 64. ad 70. & verb. Eucharistia num. 17. & 18.

Non est necesse, quod Extrema Unctio conferatur à pluribus Sacerdotibus; cap. Quævisit 14. de verb. signific. ubi: Sacerdos uno præsentem Clerico, & etiam solus potest infirmum ungeri. Est communis. Immo extra necessitatem non est licitum, quod Unctiones fiant à pluribus saltem apud nos latinis. Communis. Ecclesie enim consuetudo, & praxis declarat, ut unus minister omnes Unctiones, adeoque totum sacramentum perficiat excepto casu necessitatis; Ut si infirmus videatur moriturus, antequam unus solus minister omnes Unctiones perficere possit, tunc plures ministri possunt ipsas Unctiones perficere, ita ut unus unum sensum ungit proferendo formam ei correspondentem, & alter alterum ungit sensum prolata itidem forma ei correspondente, & sic de communi testatur Suarez disp. 43. sect. 2. num. 8. Et fortasse S. Jacobus idcirco Presbyteros nominavit, ut significaret plures ad hujus Sacramenti ministracionem concurrere posse; Layman lib. 5. tract. 8. cap. 6. in fine. Sic etiam si dum Sacerdos ungit, corripitur repentino morbo, & moriatur, alius Sacerdos potest, & debet perficere unctioes partium non unctarum, unctioes tamen à primo factas non iterando; Act. Eccles. Mediolanen. tom. 1. part. 4. de Sacramento Extrema Unctionis vers. Si Egret. Est communis. Numquam potest, nec licite, nec valide conferri hoc sacramentum à pluribus simul, ita ut unus Sacerdos ungit, & alter formam proferat; Ita de communi testatur Mugnus in addit. ad tertiam partem q. 41. art. 3. Reiffenstuel loc. citat. 34 art. 3. num. 3.

Subiectum capax hujus sacramenti est solus homo baptizatus rationis capax in periculo probabili mortis constitutus, ex morbo, vulnere, partu, senectute & morsu rabido; Communis. Pueris usum rationis habentibus dari potest Extrema Unctio etiam antequam ad S. Eucharistiam admittantur. Item moribundis sensibus destitutis, licet Communionem non possint recipere, si ante perierint, aut christiane vixerint. Et sic etiam dari potest phreneticis, & delirantibus. Non tamen perpetuum amentibus, Communis. Nec potest dari hoc sacramentum iis, qui sine aliqua infirmitate versantur in periculo mortis, ut præliantur, in naufragio constituti, morte plecendi, mulieres partui periculoso vicine, & hujusmodi, quia licet de eorum morte timeatur, non sunt tamen infirmi, quibus solum est ministranda extrema Unctio, juxta textum D. Jacobi cap. 5. infirmatur quis in vobis &c. Extrema Unctio iterum conferri potest, si infirmus postquam revaluisse videbatur, in periculum mortis recidat. Communis. Nullam prælectionem extat Extremam Unctionem recipiendi, cum ad salutem necessaria non sit. Sic S. Thomas in 4. dist. 23. quest. 1. Scotus in 4. dist. quest. 1. S. Bonaventura, & alii communiter. Unde non suscipere hoc sacramentum per se loquendo, secluso scandalo, & contemptu, non est peccatum mortale, & multo minus peccant mortaliter domes-

40 mesticis, si id non procurent. Communis. Est tamen peccatum mortale ipsum negligere, seu non suscipere ex contemptu. Communis; & patet ex verbis Concilii Tridentini leg. citat. cap. 3. ibi: Nec tanti Sacramenti contemptus absque ingenti sceleris, & Spiritus Sancti injuria esse possit. Sic etiam esse peccatum mortale ratione scandalis securi; ut si infirmus interrogatus, num ante vitam exitum velit illud accipere, & ipse nulla rationabili causa allata teneat, atque exinde audientes, vel possint de illo falsam suspitionem hæresis concipere, vel ob personam auctoritatem, & characterem possint moveri ad hujus sacramenti vilipensionem. Communis.

41 Parochus peccat mortaliter, si infirmo petenti hoc sacramentum negligat, aut sine justa causa differat illi conferre cum probabili periculo, ne sine ipso Sacramento moriatur infirmus; In re enim gravi non præstat id, ad quod tenetur ex justitia. Communis. Immo parochus tenetur sub mortali ministrare sive per se, sive per alium Extremam Unctionem infirmo peste infecto etiam cum periculo contagii, si ipse infirmus non possit aliud Sacramentum recipere; tunc enim est extrema necessitas parochiani fore constituti in mortali, quo per sacramentum liberari potest, vel si in mortali non sit, poterit accipere vires ad resistendum demoni, & feliciter emigrandum. Sic communiter Doctores cum Carden. in 1. crisi disput. 77. cap. 3. num. 23. Quinimmo parochus tenetur etiam cum periculo contagii ministrare sive per se, sive per alium hoc sacramentum moribundo peste infecto, etiam si receperit sacramentum poenitentiae, sed non Eucharistie; quia licet in tali casu non esset in extrema necessitate, esset tamen in gravi, in qua etiam tenetur subito subvenire parochus; potuit enim poenitentia ex parte dispositionis poenitentis fuisse defectuosa, quæ per hoc sacramentum per accidens supplebitur in ordine ad causandam primam gratiam; sic, ut certa traditur à Card. leg. cit. num. 24. & La Croix lib. 6. part. 3. num. 2112. Intellige tamen modo dicto sub verb. Pestis num. 8. & 9. Vide ibi.

45 Efficus specialis, & præcipui sacramenti extremæ Unctionis sunt quatuor. Primus est remissio peccatorum venialium primario, & per se, si quæ habeat infirmus nondum aliunde remissa, & remissio mortaliu secundario, & per accidens, si t. g. infirmus reperitur cum peccatis mortalibus à se invincibiliter ignoratis, quatenus bona fide confessus est, sed ob aliquem defectum essentialem à se invincibiliter ignoratum confessio fuit invalida; tunc enim hoc sacramentum confert per accidens primam gratiam. Sic communiter Doctores, & colligitur ex textu D. Jacobi, ubi: Et si in peccatis sit, dimittuntur ei; super quæ verba Concil. Trident. sess. 15. cap. 2. de Extrema Unctione. explicans rem, seu effectum hujus Sacramenti; sic: "Res tamen hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus Unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit. Secundus effectus est alleviare infirmum;" textu expresso in cit. Canonica D. Jacobi cap. 5. ubi: Et alleviabit eum Dominus. Dicitur autem hoc sacramentum alleviare infirmum, in quantum, ut ait Concilium Tridentinum loc. cit. "Egrotanti animæ alleviat, & confirmat, magnam in eo divini misericordie fiduciam excitando, quia infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus demonis calcaneo insidiantis resistit."

47 Tertius hujus sacramenti effectus est peccatorum reliquias abstergere. Conc. Trid. loc. cit. ubi: Ac peccati reliquias abstergit, quæ peccatorum reliquæ ex communi Theologorum sunt animi languor, torpor, moror, tristitia, fastidium, anxietas, & alie hujusmodi pravæ affectiones, quæ ex peccatis præteritis eorumque recordatione oriri solent, & deo in illo tunc vehementius suscitatur, & in mentem moribundis efficacius inducitur, ut facilius ad finalem desperationem reducat juxta illud Apocalypsis cap. 12. num. 12. ubi: Descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet, & juxta illud Concilii Tridentini loc. citat. ubi: "Etsi Adversarius noster occasiones per omnem vitam querat, & capiet, ut devorare animas nostras

quoquomodo possit: nullum tamen tempus est, quod vehementius ille omnes suas versutias nervos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, si possit, divina misericordie deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vite perspicit." Unde ad supra dicta omnia removenda, & superanda plurimum conducit digna hujus sacramenti susceptio, juxta verba Tridentini allata supra num. 47. Quartus hujus sacramenti effectus est liberare infirmum ab infirmitate sua corporali, ubi salutis animæ id expeditur, juxta illud Div. Jacobi Apostoli cap. 5. ubi: Ex oratio fidei salvabit infirmum; & notat Conc. Trid. loc. citat. cap. 2. dicens, quod infirmus virtute hujus Sacramenti, sanitatem corporis interdum, ubi salutis animæ expeditur, consequitur.

Oleum infirmorum asservari debet in ecclesia tantum, nisi Episcopus concesserit alicui, illud tenere domi ob distantiam domicili. Act. Eccles. Mediolanen. Concil. Proo. 3. Et eo casu domi in fenestella pannoserico vestita intus, & sub clavi retineri debet. Ibid. Concil. Proo. 4. Sacculus pro includendo oleo infirmorum etiam debet esse violaceus, cum chordulis, ut de collo pendens ad ægrotos deferri possit. Ibid. Conc. Proo. 3. Gavant. manual. Episcop. verb. Olea Sacramenti ministrandi.

Per unum, vel plures Presbyteros Græcos administrari potest Extrema Unctio, ubi viget talis consuetudo; dummodo credant, & asserant illud sacramentum; servata debita materia, & forma ab uno Presbytero valide, & licite confici. Et dummodo idem, qui ungit, formam proferat sacramenti, nec alius ungit, & alius formam pronunciet. Benedictus XIV. tom. 1. const. 57. incip. Etsi Pastoralis §. 6.

Juvat hic summam collecta subjicere quæ in præsentem materiam tradit Benedictus XIV. in suo ordine opere de synodo dioecessana.

Extremam Unctionem vetum esse novæ legis sacramentum à Christo Domino institutum, per Apostolum Jacobum fidelibus commendatum, & promulgatum Tridentini Patres dixerunt. Materia ejus remota est oleum ex olivarum bacchi expressum, nulli alteri materię saltem ex perpetuo usu ecclesie immixtum, quæ tamen materia si parva quantitate fuerit adeo, ut non destruat olei speciem, validitati sacramenti nequaquam officit. Debet vero oleum istud episcopali benedictione ante sacrari, ut ex antiquissima Patrum traditione colligitur. Ita tamen ab Episcopo esse illud oleum benedictum oportet, ut nihilo scius possit ex communione sive tacita, sive expressa Romani Pontificis à simplice Sacerdote consecrari, ut ex more vetustissimo ecclesie orientalis eruitur; ita docet Pontifex cit. Op. lib. 7. c. 16.

Unctionis extremæ forma in Rituali Rom. expressa, est deprecativa, numquam tamen definitum est ab ecclesia, an hæc ita necessaria sit, ut non æque ad sacramenti validitatem sufficiat, si indicativo modo concipiatur; satis enim constat formam illam expressis verbis nequaquam institutam fuisse. Constat tamen, aliter quam in Rituali exhibetur, proferri absque gravi flagitio privata auctoritate non posse.

Partes unguendæ aliæ quidem necessariæ sunt, ut sacramentum fiat; aliæ necessitate, ut vocant præceptis aliæ vero ratione aliqua suadente tunc omittuntur. Ex his postremis sunt pedum, & renum unctio, hæc enim in feminis omittitur; Illa vero ex gravi incommodo præteriri potest. Ceteræ quinque sensuum unctioes saltem ex præcepto adhibendæ sunt; num vero singule ita sint necessariæ, ut absque illis sacramentum non consistat, alii aliter disputant. Si necitas urgeat, ægri, qui mox decessurus timetur, unus sensus unguendus est, ea pronuntiata forma, quam Ritale in his rerum eventibus assignat, caput tamen præferendum. Ibid. cap. 18.

Sacramenti hujus ministros esse Sacerdotes nemo, qui fidem Christi profitetur, negaverit; ita definitie Tridentino sess. 14. cap. 4. Quamquam vero conferri à pluribus simul Sacerdotibus valeat, modo tamen singuli sum diversum sensum cum forma eidem debita inungant: usus tamen jam inde à pluribus seculis in latinam ecclesiam invecus extra articulum necessitatis fert,

- fert, ut unus tantummodo sacro oleo liniat, totumque perficiat sacramentum, cui mori citra lethalem culpam se non conformare nemo potest. *Ibid. cap. 19. §. 5.* Laudabile tamen fuerit, si dum res sacra peragitur, plures adstant Sacerdotes, vel saltem probi viri, ut oratio totius ecclesie ad effectum hujus sacramenti coadjuvet, quæ verba sunt S. Th. c. 43. l. 4. contra Gentes, ib. §. 5.
59. Ministrare istud sacramentum valide omnes Sacerdotes possunt; uni tamen parochi de jure competit, cum sit ejus minister ordinarius. Alii si id audeant absque parochi facultate contra statutum in catechismo Romano, peccant. Quinimo Religiosi ægrotum ungentes, minime à parochi petita venia, præter gravis culpæ reatum in excommunicationem incidunt Apostolicæ Sedi reservatam in Clement. 1. de privilegiis, exclusio tamen necessitatis articulo, in quo actum charitatis non auctoritatis abusus exercent. Hæc dicta sunt de Latinis Sacerdotibus, cum de Græcis alia sit ratio; nam apud illos mos est, nec à Romanis Pontificibus improbatum, ut in hoc sacramento conferendo septem Sacerdotes, vel saltem tres præsto sint. *Ibid. §. 8.*
60. Unguntur verò fideles tali morbo laborantes, unde peritorum judicio mors proxime securura prudenter timeatur; quare denegandum est eis, quibus certum non adest vitæ periculum, puta mare transgressuris, prælium inituris, ultimo supplicio afflicendis, cum hoc illis desit, quod morbo periculoso laborent. Hoc vero morbi gravis periculum ita necessarium est, ut sanis collatum sacramentum, vel nullum sit, vel illicitum. Neque urget Græcorum consuetudo, ungenti bene valentes; nam si id agant rati se conferre verum sacramentum, increpandi acriter sunt, & prohibendi; sicut tunc etiam cum, ut apud illos interdum fit, loco satisfactionis per Confessarios imponenda poenitentia inungunt, *Ibid. c. 20. per tot.*
61. Providendum est tamen à parochi, ne in hoc sacramento administrando supremum vitæ articulum expectet; sed maturius id agat, cum æger nondum sensibus destitutus, precibus Sacerdotis suas etiam adjungere valet. Providendum illi est etiam, ne hoc sacramentum, quamquam non est de præcepto, petentibus denegat; id enim si vel ille negaret, vel non offerret, gravem culpam committeret. Quin nec desunt plures, qui opinantur, ægrotum negantem recipere Sacramentum, reum habere lethalis culpæ, cum ex contemptu sacramenti id tenere merito censeri possit. *Ibid. cap. 22.*
62. Pueris ante usum rationis ex perpetua ecclesie doctrina non datur, quamquam, ut id licite fiat, ætas illa firmior expectanda non est, qua sacramenti Poenitentiae capaces censentur. Pueris addendi sunt etiam perpetuo amentes, & furiosi, quibus constans fuit per totam vitam amentia. Constans, inquam, nam si adulti usum rationis aliquando obtinuerunt, tumque incidunt in amentiam, cum aliquid criminis committere poterint, utique inungendi sunt. *Ibid. cap. 21.*
63. Sed quid, si subita vi morbi corrupti in amentiam incidant, ut petere sacramentum minime valuerint? Eos profecto hoc sacramento juvari oportet, si præsertim sensibus destituti, aliorum sacramentorum remedio juvare se non possint. *Ibid. cap. 21. per tot.*
64. Ordo in hoc sacramento conferendo quamquam non idem fuerit semper in tota ecclesia, cum alii statim post sacramentalem absolutionem, ante Viaticum ægrotos inunxerunt; alii post Viaticum: cum tamen Ecclesie Romanæ disciplina in catechismo Concilii Trident. expressa postremam hanc agendi rationem servaverit, æquitatis ratio postulat, ut ab ea non recedatur. *Ibid. cap. 23.*
65. Eodem morbo & periculo perseverante repetere sacramentum istud non licet. Si vero morbi vis ita remiserit, ut recessisse periculum mortis videatur, iterumque recrudescat, & novum mortis periculum urgeat, tum iterum unctio peragenda est: *Ibidem* in dubio tamen num morbi status sit mutatus, seu num idem perseveret, expedit ut in sacramenti iterationem parochus propendeat. *Ibid.*
- An teneatur parochus sacramentum hoc administrare peste laborantibus? Ex doctrina Suarezii tunc tenetur, quatenus valent absque morali vitæ periculo.
- An valeat sacramentum, si instrumento, nempe penicillo inungatur corpus ægroti peste infecti, nihil dicitur; assertur. tamen ritum talem in ecclesia hucusque fuisse inusitatum; *Ibid. cap. 19. §. 17. not. edit.*
66. Apud Græcos oleum à Presbyteris benedicitur, Goar. in not. ad Ritual. Græcor. not. 22. Benedicuntur & ipse Episcopus ritu Græcorum feria quinta in Cæna Domini sacrum oleum, sed vix facta benedictione torum oleum consumitur, idque quia Græcorum more, Cuncti (ait Goar *Ibidem*) accessuri ad sacramentum in peccatorum expiationem sese ungentis offerunt, & Episcopus ipse primus omnium Oeconomus manu unctionem suscipit, quem deinde omnes alii sequuntur, & ab Episcopo ungentur. Hæc itaque unctio licet ceremoniali, quum oleum totum contumitur, facultatem illud denuo consecrandi privato cuicumque Parochi, ipsi Pontifices tacite ex antiquo more videntur remittere: ita pergit Goar ubi supra. Nec hæc Græcorum disciplinam unquam improbat Ecclesia Latina, immo approbavit Clemens VIII. in sua instructione ad Episcopos Latinos.
- Patet hinc, Concilium Tridentinum non eo sensu oleum ab Episcopo benedictum materiam hujus sacramenti reputasse, quasi ex divina institutione sine hujusmodi oleo conferri valide hoc sacramentum acquirat; sed dumtaxat eam esse veram & sufficientem, ac etiam necessariam, spectata scilicet Ecclesie Latine consuetudine.
- Nec forma deprecativa, qua ex decreto Eugenii IV. & Synodi Tridentinae utitur Ecclesia Latina, est necessaria: ex institutione divina. Eam nunquam adhibuit Ecclesia Græca; & tamen Ecclesia Latina nunquam de validitate collati hujus Sacramenti cum forma à Græcis usitata, ipsis quæstionem movit. Quinimo ipsa Ecclesia Latina seculis ipsam ignoravit, & usa fuit forma indicativa, ut patet ex Sacrament. S. Gregorii, apud Ugonem Menardum pag. 251. & notis ipsius Menardi pag. 332. Ostendit præterea Menardus *Ibidem*, Formam Ambrosianam relatam à S. Bonaventura esse indicativam. Confer quoque Morin. de Administr. sacram. Panit. lib. 8. cap. 16. Launojum in speciali libro de sacramento Unctionis infirmorum, qui docet, Christum nullam specialem formam hujus sacramenti instituisse, sed eam instituenti libertatem ecclesie suæ reliquisse.
- Quoad partes inungendas, magna etiam fuit olim ecclesiarum diversitas. De hac diversitate consule mox laudatum Launojum in citato libro sub hoc titulo: *Explicata ecclesie traditio circa partes corporis que ungentur in sacramento Extreme Unctionis cap. 1. & cap. 2. observ. 1.*
- Ministros hujus Sacramenti esse Presbyteros, docuit S. Jacobus, confirmavit traditio ecclesie, & declaravit Concilium Tridentinum. Plures vero S. Jacobus Presbyteros inducit. Quare ritu Græcorum plures interveniunt, nec tantum intersunt, sed etiam inungunt; Goar in not. ad Ritual. Græcor. pag. 408. & 438. Neque Græcorum tantum, sed & Latinorum praxis antiquitas fuit, ut plures Presbyteri ad Sacramentum ministerium vocarentur, atque simul pro infirmo orarent, ut patet ex Sacramentario S. Gregorii apud Menard. pag. 252. Seculo vero XII. fuit dubitatum, an plures requirantur, & unum sufficere, fuit resolutum cap. 14. de Verb. sig. Secundum vero modernam disciplinam non quilibet Presbyter, sed solus Parochus est minister hujus sacramenti.
- Solis infirmis ex sententia S. Jacobi, traditione ecclesie, & Concilio Tridentino, hoc sacramentum administrandum. Et ex Rituali Romano constat, requiri infirmitatem periculosam & quidem talem, ut ob eam videatur naturale mortis periculum imminere. Hæc tamen gravitas infirmitatis non eo usque extendenda est, nec administratio hujus sacramenti tandiu differenda, ut nulla convalescentiæ spes supersit, ut ipse infirmus sensibus, & ratione destitutus sit.
- An mulieribus in partu laborantibus hoc sacramentum

- tum administrandum? Quomodo administrandum pueris? Amentibus quomodo administrandum? Et demum quomodo administrandum infirmis sensu ac ratione destitutis, tradit Van-Espen *Jur. eccl. univ. part. 2. tit. 8. cap. 2. num. 8. & plur. seq.*
- De diversitate olim opinionum circa iterationem hujus sacramenti, tum de præsertim disciplina, consule pariter eundem Auctorem ubi supra cap. 3. à num. 26. ad finem.
- (Circa Sacras Unctiones num. 1. relatas, videatur lit. B. pag. 284. & lit. E. pag. 158. & 267. in additi. novis. hisp. ubi de prima, secunda, & quarta agitur: de tertia, & quinta lex 11. & 12. tit. 4. p. 1. Ad rem pag. 7. lit. C. Aliquid amplius easdem proponere, cum ex ipsis remissionibus satis ostendatur, supervacaneum judicatur: dumtaxat de sexta major fiet recordatio, utpote ejus hic est propria materia: leges 69. 70. & 71. ejusd. tituli. & par. hancine amplectuntur: licet convenienter cum præpositis se gerant, earum inseritur contextus, quapropter in sexagesima nona quid sit hoc sacramentum, à quo est conferendum, quibus locis, verbis, & oleo benedicto, quod dicitur Oleum Infirmorum, declamatur: dum est morti proximior infirmus, conferatur, vid. proemium hujus tit. 4. part. 1. indeque nomen proprium convenit, & vocatur *Extrema Unctio*: à D. Jacobo Apostolo sic fieri præscriptum: à nullo nisi à Presbyteris conferri debet, ut dicit lex citat. hisp. sermone Missacantiano: verba Apostoli assignat, scilicet *Infirmum quis in vobis? inducat Presbyterum ecclesie, & et super eum, ungens cum oleo in nomine Domini: pene cum eisdem num. 5. relatis consonant: partes, quæ sunt inungendæ, omnes remiscuntur, et etiam,*

quarum unctio propter honestatem prætermittitur: in corporis septem partibus debet fieri, in oculis videlicet, naribus, auribus, labiis seu ore, manibus, pedibus, lumbis in masculis, atque in umbilico sive renibus in feminis, ideo in prædictis locis, quia plus cum istis membris peccare solemus: verba pro forma juxta consuetudinem proferuntur; In septuagesima cui conferri debet, & ejus quot sint effectus: ex religionem christianam profitentibus ab hujus sacramenti receptione quis excusandus veniat, non occurrit: Omnes vid. sup. proem. idem recipere tenentur: cui per contemptum non confertur, mortalis peccati reatum incurrit, difficulterque salutem æternam consequitur: colato, tria bona lucrantur, ut timor Domini non deficiat, & præteriti mali poenitentia, gratia à Deo major impetratur, atque peccata remittuntur venialia vid. leg. 3. & 6. ejusd. tit. 4. part. 1. denique ægritudinem mitigat: ad mortem non timendum infirmos munit, viresque confert, ut citius sanitatem assequantur; In septuagesima prima demonstratur, nemini, qui usu rationis caruerit, hoc est, qui nunquam discretionem habuerit, iri collatum: quod non est *Extrema Unctio* amentibus, nec pueris sine discretionem ægrotantibus conferenda: inter perpetuo amentes, & qui in furorem incidunt, datur discrimen: illis nunquam, nam ubi voluntas deficit, peccatum non ingreditur, nec potest committi, istis vero pariformiter, nisi à sanitatis tempore, vel respiscens, petierit illud; Vid. add. hisp. verb. Irregularitas, verb. Sanctum Chrisma: & verb. Regulares, vers. Fratibus: Hæc sunt quæ in prædictis legibus exprimuntur: memoriae demanda toties animadversa, dum de hisce materiis tractatur.)

FINIS.